

*Ipsa & adornatur pro consuetudine pompa.  
Iamq; petit magni Sponsus sacraria templi,  
Et Sponso nova Nupta novo procumbit ad aras,  
Iungitur atq; preces fundendo dextera dextra.  
Post ea coniugium felix faustumq; precantur  
Omnes, fausta sonant socialibus omnia tedis.  
Gaudia Pegasides hymeneia dicite Fonti.*

*Vosq; ô Pierides tantarum expromitererum,  
Si nescis, causasq; virum quid compulit istum,  
Quod prius ignotam sibi iam scētetur amore;  
Mirum hoc, unde novi (mirum est) oriantur amores.  
Hoc narrate mihi, quia vos memorare potestis.  
Scilicet hoc fatum est, hoc trinum numen & unum,  
Quod ditat miseros, dives quod pauperat idem,  
Signaq; tum suprà tum dans mortalibus infra  
Prodigiosa solo dans prodigiosa saloq;  
Congregat hoc homines, homines quoq; disgregat idem,  
Fato crescit amor, fato decrescit & ipse,  
Fatum coniungit simul & disiungit amantes,  
Fata regunt homines, fiunt connubia fato.  
Fatum in amore valet, valide ac hunc munit & unit,  
Fatum & ubiq; valet, plusquam gaza omnis, & omnis  
Nobilitas, etiam fato est obnoxia virtus.  
Omnes legitimo iungit quoq; fœdere fatum,  
Qui purus putus est divini Numinis ordo.  
Sicq; Valentino quoq; fato iuncta Sibylla est.  
Iamq; vides, inquit, fieri connubia fato.  
Carmina Pegasides hymeneia fundite Fonti.*

*Tuq; age Musa mihi de Sponsis dicito rursum,  
Et genus & formam mihi verbis exprime Sponsa.  
Fonte, inquit, claro patre est progenerata Sibylla,*